

junctim rem bonam, vel malam, aut inutilem. Si vero utraque pars sit bona, præstanda est illa, quæ eligitur, etiamsi post electionem altera pars fiat impossibilis, vel inutilis. Secus vero si pereat una pars, vel impossibilis reddatur ante electionem, non teneris ad alteram: nisi tua culpa res pereat, aut in mora fuisti eam tradendi, aut determinandi.

## CAPUT VII.

*Quot modis tollatur obligatio voti.*

21. Duplicitet tolli potest 1. nullius auctoritate interveniente, idque vel materiæ mutatione, vel deficientia conditionis, aut circumstantiæ necessariæ. 2. intercedente legitima auctoritate, scilicet vel irritatione, vel commutatione, vel dispensatione. Quo ad primam rationem attinet, cessat voti obligatio, quoties res, quæ vovetur, fit impossibilis, inutilis, cet. Quod si materia fiat impossibilis quoad unam partem, & res commode dividi possit, impleri debet quoad eam partem, quæ potest impleri. Sic qui vovit jejunare per integram hebdomadam, nec potest tota hebdomada jejunium servare, tenetur jejunare diebus, quibus possit. Si vero materia voti dividi non potest, nec solet, ad nihil teneris: ut si vovisti ædificare Ecclesiam, nec possis nisi fundamenta construere, non teneris ad ea. Quod si votum dividi quidem possit, sed unum sit principale, reliqua non nisi accessoria, nec per se seorsim intenta, sed dependentia a

priori, tunc si principale fiat impossibile ruit accessorium, non autem contra; ut v. g. vovisti peregrinationem Romam in cilicio, & ibi aliquid offerre: si peregrinatio fiat impossibilis, non obligaris cilicio ferendo, & donum mittendo.

22. Tollitur etiam voti obligatio, si in materia notabilis mutatio interveniat; quia in voto sicut & in omni contractu per notabilem mutationem res censetur moraliter diversa, adeoque in eam non fertur mens voventis, aut contrahentis. Quid vero si accedat nova circumstantia non prævisa, quam si vovens prævidisset, numquam se voto obligasset? Adhuc in ea hypothesi teneri voto, affirmant Navarrus, Salmant. & alii, quia ad voti obligationem non est attendendum, quid vovens egisset, si has, vel illas difficultates meminisset, sed videndum, quid re ipsa promisit, cum vovit. Et probant ex c. *Explicari de observ. jejunii*, ubi Honorius III. definit, eos, qui nec voto, nec regulari observantia sunt adstricti, in feria sexta, si festum Nativit. Dominicæ die ipso venire contigerit: carnibus vesci posse. Probat idem Lessius ex eo, quod multi Castitatem vovent, & Religionem profitentur, qui graves tentationes, & difficultates experiuntur, quas si prævidissent, nunquam Religionem, & castitatem professi fuissent; & tamen eos voto ligari, nemo dubitat. Nihilominus contraria sententia defenditur a multis TT. cum Molina, Azorio, & videtur conformis S. Anton. & D. Thomæ. Certe Ang. D. in 3. d. 38. art. 4. q. 1. ad 1. expresse ait: *id liberare a voti, vel juramenti obligatione,*



quod si a principio notum fuisset; ea fieri impediret. Ratio autem est, quia circumstantia superveniens, non prævisa, quæ votum onerosius redditur, facit voti materiam notabiliter diversam, adeoque vovens non habuit animum ad eum se obligandi. Non ita se res habet in tentationibus, ac difficultatibus, quæ superveniunt voto Religionis, & Castitatis; illæ enim saltem in genere prævideri possunt, ac debent, nec materiam voti reddunt notabiliter diversam. Textus autem Honorii explicari potest cum Azorio de iis, qui expresse voverint servare jejunium etiam in die Natalis, qui certe tenentur ad votum.

23. *Quæst. 2.* Qui possit irritare votum?

R. 1. ille, cujus potestati domini subjecta est alterius voluntas, potest *directe* irritare illius vota, hoc est velle, & pronuntiare ea vota esse nulla ex defectu consensus illius, qui potestatem habet domini in voluntatem vovens. *Indirectè* autem irritare potest vota is, cui non est quidem subjecta vovens voluntas, sed materia voti, adeoque potest suspendere obligationem voti, quoad suo juri præjudicatur; quæ vocatur irritatio *indirecta*. Utrumque jus oritur ex lege naturæ, quæ prohibet, ne quis voto se obstringat sine consensu ejus, qui dominus est, neque in alterius detrimentum. His positis —

24. R. Pater, & hoc deficiente, Avus Paternus potest irritare quæcumque vota impuberum, sive realia, sine personalia, etiam castitatis, & Religionis. Imo in dubio, an votum sit emissum ante pubertatem, potest irritari a Parente, quia possidet ejus libertatem. Filiorum

autem puerum non possunt parentes irritare vota personalia, quæ non præjudicent domesticæ gubernationi, prout vota diuturnæ abstinentiæ, peregrinationis, cet. Bene autem possunt irritare (indirecte tamen) vota realia puerum in minori ætate, in qua carent administratione honorum. Excipe, si votum sit de peculio castrensi, vel quasi castrensi; vel si filius exierit de patria potestate. Facultatem autem, quam habet Pater erga filios legitimos, eandem habet erga illegitimos. Atque id, quod de Patre dictum est, intelligendum est de Tutore respectu pupilli, de Curatore respectu minoris, etiam si multi sint Curatores, ac Tutores.

25. Mater si tutrix sit aut curatrix filiorum potest eorum vota directe irritare. Imo & si talis non sit designata; potest ex communi opinionem irritare vota filii, si is careat patre, & avo paterno; sicut deficiente matre, & avo paterno, id potest avus & avia ex parte Matris. An autem id possit Mater, vivente Patre, disputant DD. Utrumque est satis probabile; & quidem S. Th. op. 17. c. 13. a. 10. eandem facultatem promiscue tribuit parenti. Non poterit tamen mater vota filii irritare, contradicente patre, licet id pater possit, invita matre.

26. Porro vota filiorum, & subditorum, velut Religiosorum, uxorum, cet. in iis, quæ non adversantur Superioris potestati, nec bono familiæ nocent, valida sunt in communi sententia, antequam irritentur; quia eo quod subditi sint, non carent voluntate, licet illa subdita esse de-



beat Superiorum voluntati, si contradicat. Atque ita intelligendus est D. Thom. 2. 2. q. 88. a. 8. dicens: *nullum votum Religiosi est firmum sine consensu Prælati*; hoc est, ut ipsemet explicat: *in eorum voto intelligitur debita conditio, si suis Superioribus placuerit, vel non renitentur.* Ita Navarrus, Suarez, Azor contra aliquos, censentes, nulla esse quæcumque vota fiant sine facultate Superiorum.

27. R. 3. Superiores Regularium possunt directe irritare vota omnia subditorum, etiam interna. Constat ex usu, & praxi Ecclesiæ, & ex c. 20. *Monacho*; quia profitens Religionem voluntatem suam abdicavi, eamque transtulit quodammodo in potestatem superioris. Excipiuntur vota substantialia Religionis, & votum transeundi ad Religionem strictiorem. Novitiorum autem vota non possunt a Superiore irritari, sed manent suspensa quoad executionem, ita ut si egrediantur ex ordine, statim obligent. Idem quod Superior respectu subditi, potest Maritus respectu uxoris, ut docet S. Thomas loco citato: *Nullum votum Religiosi*, verba sunt S. Doctoris, *est firmum, nisi de consensu Prælati*; sicut nec votum puellæ nisi de consensu Patris, nec uxoris, nisi fit ex consensu viri. Nihilominus alii multi DD. eam marito facultatem negant in iis, quæ mariti juri non præjudicant.

28. Prælati potest irritare vota subditorum, emissa tempore suorum Prædecessorum, etiamsi postea ipse ratificaverit, quia non ideo se privare potest jurisdictione, & potestate in subditos. Potest quoque Pater irritare vota emis-

sa a filiis tempore impubertatis, modo ea rata non habuerit post pubertatem; quia talia vota tractu temporis non amiserunt conditionem: nisi Pater contradixerit, atque ita videtur expedire debitæ filiorum subjectioni. Id quod multi affirmant de viro respectu uxoris, in quam veram habet potestatem dominativam; licet alii contradicant.

29. Quæst. 3. Quis possit indirecte vota irritare? R. is, cui materia voti subjecta est potest indirecte illud irritare, hoc est, ejus obligationem suspendere, quoad juri suo præjudicatur. Quæ tamen obligatio reviviscit, quando alteri nocere desinit, contra ac in votis accidit directe irritatis, quorum obligatio nunquam reviviscit. Hinc votum irritare possunt indirecte Parentes respectu filiorum puberum, quandiu manet in domo paterna, nec sunt emancipati, Tutores usque ad annum 25. in iis, quæ officiant eorum gubernationi, Superiores respectu subditorum, atque omnes ii, qui vicem Parentis gerunt, in iis, quæ ipsorum dominio, & regimini adversantur. Item Maritus irritare potest uxoris vota, quæ officiant vitæ sociali, & juri matrimonii, qualia forent longa peregrinatio, separatio a thoro, aut domicilio, cet. Idem potest uxor respectu mariti in iis, quæ vitæ communi adversantur. Ubi notandum est, validam esse irritationem voti, quæ fiat sine justa causa a legitimo Superiore, sed rato fiet sine peccato veniali, cum sit abusus potestatis. Pariter Domini vota famulorum, quæ illos redderent ineptos ad obsequia ipsis debita: quale non est vo-



tum castitatis, & aliquarum precum.

30. *Quæst.* 4. Quid sit voti commutatio, & quis possit votum commutare? R. 1. commutatio est substitutio boni operis in locum ejus, quod erat promissum, sub eadem obligatione. Certum est, posse quemvis auctoritate propria votum suum in aliud melius commutare, exceptis votis reservatis. Constat ex c. 3. de jure jur. *Non promissum infringit, qui in melius commutat.* Et est ratio, quia votum rei minus bonæ perfectius solvitur Deo in re meliori, quæ Deo sit gratior, & in qua etiam res promissa virtualiter continetur. Voco autem *melius*, quod tale sit quoad utilitatem spiritualem voventis, & Deo gratius. Sunt, qui velint, votum posse commutari privata auctoritate in opus evidenter æquale, sed contrariæ sententiæ est omnino adhærendum, quia, ut ait S. Th. in 4. dist. 38. q. 11. a. 4. *Commutatio est quidam contractus, qui perfici nequit absque consensu ejus, qui vicem Dei gerit in terris, scilicet Prælati.* Et quia posita promissione, Deo gratius videtur, ut vovens præstet rem ei promissam, quam aliam, licet parem, sed non promissam.

31. R. 2. Ad commutationem voti in minus bonum præter auctoritatem Superioris requiritur justa causa. Et quidem causam requiri, ut commutatio licita sit, non est dubium; utrum autem sit invalida, si fiat absque causa a legitimo Superiore, non convenit inter DD. Nihilominus S. Th. 2. 2. q. 88. a. 12. & cum eo gravissimi TT. dicunt, esse invalidam, sicut est invalida dispensatio; quia Prælati nequit excedere po-

testatem, quam habet sibi a Deo delegatam, commutandi tantum cum justa causa. Minor autem causa requiritur ad commutationem voti in æquale, quam in minus bonum. Erit autem satis major in illud propensio, & minor molestia in implendo, vel minus periculum transgrediendi. Si quis autem dubitet, an fuerit sufficiens causa commutationis, potest vovens acquiescere judicio commutantis; ut ibidem tradit Angel D.

32. R. 3. Qui habet potestatem dispensandi, & quidem in communi sententia etiam delegatam, habet potestatem commutandi; quia commutatio est pars dispensationis; qui autem potest majus, potest minus, in eo contentum. Qui autem habet facultatem commutandi tantum, non potest commutare nisi in æquale; verum æqualitas hæc moraliter æstimanda est, & non mathematicè, ita ut non sit magnum discrimen, ne detur locus pluribus anxietatibus, ac difficultatibus. Atque in hoc sensu probanda est doctrina eorum, qui dicunt, eum, qui potestatem habet commutandi, posse materiam voti mutare in aliam, quæ sit aliquantulum minus bona; scilicet, si excessus ita sit tenuis, ut non tollat moralem æqualitatem.

33. Denique notandum est 1. opus personale commutari posse in reale, & e contrario; & perpetuum in temporale. Recte autem Elbel, & Gobat monent Confessarium, ut conetur talia opera voto substituere quæ videantur fore penitenti magis utilia, & non nimis difficilia. 2. Si is, cui votum mutatum est in minus bonum, vel æquale malit deinde implere primum,



procul dubio id potest; si vero commutatio facta sit in melius, idque cognitum sit ab eo, & acceptatum, multi cum Suarez negant posse redire ad primum. Sed probabilius id alii concedunt, cum substitutio facta sit in gratiam voventis, adeoque non obliget, nisi consulto fieret, & in majorem Dei cultum. Imo neque in ea hypothesi esset grave peccatum, primum votum eligere; nisi novum votum intersit, ut placet Salmant. & aliis. Nota 3. si facta voti communicatione, res subrogata fiat impossibilis, non teneris ad 1. quia prima obligatio extincta est; hinc si eleemosynæ suffectum est jejunium, & postea non possis jejunare, eleemosyna non obligat; imo etsi id culpa tua non possis, peccabis quidem, sed non teneris ad eleemosynam, cujus obligatio omnino desierat. Hoc tamen 1. cum non habet in commutatione facta propria auctoritate; tunc enim si non impletur opus perfectius, adimpleri debet primum minus perfectum: quia prima obligatio non extinguitur, sed abunde adimpletur; & hoc est omnino certum.

34. *Quæst.* 5. Qui sit dispensatio, & quis possit dispensare in votis?

R. 1. Dispensatio voti est absoluta rei Deo promissæ condonatio, facta Dei nomine a legitimo superiore, tanquam ejus Vicario. Hinc ad valorem dispensationis juxta communem sententiam requiritur juxta causa; quia Deus non dedit hominibus potestatem relaxandi sine causa vota, & juramenta sibi facta, cum talis remissio honori Dei, & bono animarum adversetur.

Nec Prælati sunt domini jurium Dei, sed solum ejus æconomi. In dubio tamen de sufficienti causa, standum est judicio Superioris, ut docet S. Thom. 2. 2. q. 88. a. 12. Itaque dispensans sine causa est gravis peccati reus, cum sit Deo infidelis in re gravi, & in administratione potestatis sibi a Deo commissæ.

35. Non peccat vero, qui bona fide dispensat, putans esse causam, quæ re vera non est; invalida tamen est dispensatio, cum in lege superioris nulla possit esse dispensatio sine causa, ut tenet communis. Causa autem ad dispensandum multiplex esse potest; scilicet honor Dei, bonum commune Reip. vel societatis, vel familiæ, utilitas voventis, magna difficultas votum adimplendi, quæ illius executioni supervenit; periculum grave violationis voti, præsertim si oriatur ex eo, quod quis voverit immature, vel ex animi levitate, vel sine perfecta deliberatione, & consideratione. Quod si hæ causæ, vel aliæ non sufficiant ad dispensandum, potest votum partim commutari; & partim dispensari.

36. R. 2. Potestas dispensandi convenit omnibus Prælati, qui jurisdictionem spiritualem habent in foro externo, vel privilegium. Unde dispensare possunt Papa, & Episcopi jure ordinario, ille quidem quoad omnes fideles, isti quoad subditos in propria diocesi. Hæc enim potestas jurisdictionis expedit ad externam Ecclesiæ gubernationem, & continetur in illis verbis Christi Matt. 18. *quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in celo.* Quæ verba ut



pote generalia non solum intelligenda sunt de vinculis culpæ, & pœnæ, sed & de vinculo quocumque, contracto ab homine erga Deum. Dispensare quoque possunt Prælati Regulares exempti circa vota suorum Religiosorum, & Novitiorum, etiam in sæculo facta. Non autem Prælati non exempti, neque Abbatissæ, neque Parochi, neque Pœnitentiarii, neque Vicarii, Episcopi, nisi facultas eis speciatim delegetur. Denique ex privilegio Papæ, Confessarii Ordinum Mendicantium, prout a eis Superioribus suis concedatur.

37. Et quidem Papa dispensare potest in omnibus votis, etiam solemnibus, licet ad hæc major requiratur causa. Ita doctrina communis, aliquorum Pontificum praxi confirmata, contra aliquos ex antiquis DD. Episcopi, & qui jurisdictionem habent quasi Episcopalem, possunt dispensare cum suis subditis in votis omnibus, exceptis quinque Papæ reservatis, scilicet voto Castitatis perpetuæ, Religionis approbatæ, peregrinationis ad limina Apostolorum, ad S. Jacobum Compostellæ, & Ultramarinæ, sive ab terram Sanctam. Quæ tamen in urgenti, & gravi necessitate, ubi non sit facilis aditus ad Papam, dispensari possunt ab Episcopo; atque etiam si non fuerint absoluta, sed conditionata, ante impletam conditionem. Confessarii Regulares possunt dispensare vota quorumcumque fidelium non reservata, etiam extra Confessionem. Prælati vero, facultatem habentes dispensandi, eam possunt aliis delegare. Possunt quoque secum dispensare in votis, licet vota propria nequeant irritare.

38. Denique hic notanda sunt aliqua. 1. votum factum in gratiam alterius, v. g. dandi eleemosynam pauperi, vel Ecclesiæ, antequam acceptetur, posse dispensari; non enim fit injuria alicui, cum ei nondum sit jus acquisitum. 2. Si promissio cum voto elicita sit in utilitatem alicujus personæ particularis, ab eoque sit acceptata, dispensari, aut commutari nequit sine ipsius consensu, quia fieret ipsi injuria, privando, ipsum jure, quod per legitimum contractum acquisivit; id quod videtur certum, si votum principaliter factum sit in gratiam alterius, v. g. ad subveniendum pauperi. Quod si votum præcipue sit emissum in Dei honorem, & secundo loco, & minus præcipue in favorem alicujus, disputant TT. an possit in melius commutari sine facultate illius, qui acceptum habuit. Negant Suarez, Lessius, Sanch. Salm. & alii, quia tunc jus acquiritur pauperi, vel Ecclesiæ acceptanti. Affirmant alii, quia tale jus non est acquisitum, nisi dependenter a beneplacito Dei, in cujus honore præcipue votum est elicatum. Potest autem Superior justis de causis commutare in melius, & Deo gratius, licet per accidens aliquid detrimenti obveniat pauperi, qui solus est finis voti secundarius, & minus principalis.

39. Notandum est 3., id solum intelligendum esse de promissione gratuita; nam si in voto, aut juramento intercedat contractus utrinque onerosus, remitti nequit promittenti, nisi altera pars consenserit. Hinc Bened. XIV. in Bulla *Convocatis* edita 25. Nov. 1749. mo-



net Confessarios, ut *abstineant ab eorum* (votorum) *commutatione, in quibus agitur de præjudicio tertii. Quare in eo, quod pertinet ad vota, quantumvis simplicia, seu Perseverantiæ, seu alia emitti solita in aliqua Congregatione, vel Communitate, & in vota obligatoria a tertio accepta, non se ingerant.* Idem habet in Bulla *inter præteritos*, in qua laudat Suarez T. 2. de Relig. lib. 6. c. 5. n. 7. apposite scribentem, Pœnitentarios circa talia vota dispensare non posse. 4. Confessarium posse absolvere a peccatis contra votum commissis, modo non sint reservata; sed manet eadem, quæ antea fuerat, voti obligatio. De reservatione votorum agemus in Tract. de Pœnitentia. Interim sciendum est, vota conditionata non intelligi reservata, donec conditio impleatur, & dispensari posse a quocumque habente facultatem ordinariam; nisi conditio sit de præterito, vel de præsentis, quia hæc non suspendit votum, quod re vera est absolutum. Idem dicendum est, si conditio sit de futuro necessario, quæ habetur tanquam non adjecta; vel de contingenti, quod sit commune, v. g. *si vixerò, si potero.* Pariter si conditio apponatur, non quidem ad suspendendam voti obligationem, sed illius executionem v. g. *Voveo religionem, si vigessimum annum attigero, & similia.*

## TRACTATUS III.

DE TERTIO ET QUARTO PRÆCEPTO  
DECALOGI.

## CAPUT I.

## De obligatione sanctificandi festa.

1. **T**ertium hoc Decalogi præceptum habetur Ex. 20. his verbis: *memento, ut diem Sabbati sanctifices.* Quod tribus de causis datum est Judæis. 1. ob beneficium creationis; sex enim diebus cuncta operatus est Dominus, & die septima requievit ab omni opere, quod patrarat; hinc ne tanti beneficii memoria excideret, observandam præcepit hanc diem, quæ vocata est Sabbatum, quod interpretatur *quies.* 2. ob figuram Christi in lege promissi, qui integro sabbato quieturus erat in sepulchro. 3. ad quietem corporum, ne continuo labore deficerent. Jam vero Ecclesiam diem Sabbati, seu diem septimum mutavit in Dominicam diem, seu octavam in memoriam resurrectionis Christi, quæ die octava contigit, in qua opus redemptionis nostræ perfectum est.

2. Hoc præceptum partim naturale est, partim caremoniale; naturale est, quatenus præcipit aliquod tempus cultui Divino impendi; quatenus vero definit tempus, in quo cultus præstari debet, est caremoniale. Ita S. Th. 2. 2.